

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2887

Auteur(s) : Raoul de Varneville, Lisieux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1189

Lieu d'émission : Le Bec-Hellouin

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettres par lesquelles Raoul de Varneville, évêque de Lisieux, accorde à l'abbaye du Bec-Hellouin le pouvoir de choisir un prêtre pour desservir l'église de Saint-Ymer dont elle a le patronage et fixe la portion canonique du curé.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bréard Charles, *Cartulaires de Saint-Ymer en Auge et Bricquebec, publiés avec notices*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard, 1908, n° XI, p. 16-18.

Texte établi d'après a

Radulphus, Dei gratia Lexoviensium episcopus, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem, et Dei benedictionem. Noverit universitas vestra nos prædecessoris nostri Arnulphi vestigiis inhærentes, donum quod ipse Beccensi monasterio de ecclesia sancti Ymerii fecisse dignoscitur pro parte pietatis intuita suppliciter desiderantes, dilectis filiis nostris Rogerio abbatii, monachis Beccensibus apud Beccum sub monastica professione degentibus, donasse ecclesiam sancti Ymerii cum patronatu et omnibus aliis pertinentiis ipsius in usus monachorum Beccensium in eadem ecclesia Deo servientium integre, quiete et pacifice in perpetuum convertendam : Ita quod prædicti monachi pro voluntate sua præsbyterum qui curam plebis habiturus sit, mihi et successoribus meis præsentent, qui curam animarum a nobis recipiat, a monachis vero portionem, quam ei pro sua sustentione assignaverunt idoneam tum quatenus inde possit sufficienter sustentari, et nobis et successoribus nostris de episcopalibus respondere : quam etiam portionem præsenti scripto mandavimus annotari. Habebit igitur ex nostra autoritate prædictæ ecclesiæ sancti Ymerii præsbyter a monachis per singulos dies victum unius monachi, in cibo scilicet et potu ; præterea vero omnes visitationes et omnia legata sua et baptisteria, medietatem quoque de omnibus quæ super altare, vel ad manum sacerdotis, offeruntur. Et quoniam Lexoviensem ecclesiam ab omni detimento nos convenit observare, præbendam nostram quæ infra eandem parochiam esse dignoscitur nobis integrum, illibatamque cum omni jure suo in perpetuum manere censemus. Acta sunt hæc apud Beccum, anno Incarnationis Dominicæ M.C.LXXXIX. In die videlicet sepulturæ Roberti Juvenis de Monteforti, fratris Hugonis de Monteforti ; ubi idem Hugo de Monteforti, ad precesmatris suæ Clemenciacæ, ecclesiam sæpe nominatam sancti Ymerii quam Robertus, pater suus, iniquo circumventus consilio monachis Beccensibus jamdudum abstulerat, pro anima patris sui Roberti, et fratris sui Roberti Juvenis, et sua, in manu nostra resignavit, et ut Beccensi monasterio illam conferremus affectuosus nos precibus studuit inclinare. Ne igitur quod tam pie actum est ulla possit in posterum oblivione, vel malignitate convelli, litteris mandari et sigilli nostri impressione facimus communiri, in perpetuam valitum. Testibus : Gilleberto Crispino ; Andrea de Vitreio ; Gaufrido de Asneriis ; Willelmo de

Bethevilla ; Willelmo de Baillolo ; Roberto Mauhan ; Waltero Folet ; Ricardo de Bethevilla ; Radulpho, senescallo ;
Hugone de Parco ; Waltero Grobout ; Hugone Parvo.